



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex  
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &  
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium  
similitudinibus conscripta ...**

**Duplan, Theodore**

**Ruraemundae, 1663**

2. Adam, Eva, Abel.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12221**

## SUBDIVISIO PRIMA

Trinitas diversarum rerum ex Scripturis  
veteris Testamenti conscripta, & tri-  
distichis ad divinæ Trinitatis  
mysterium accommodata.

### S Y M B O L U M 1.

*Imago Sanctissimæ Trinitatis relucet in Adamo, qui fuit inge-  
nitus, quia formatus a solo Deo, qui mox ex Adamo for-  
mavit Ewam; Adam & Eva deinde genuerunt Seth. Ha-  
betur pro Symbolo Sanctiss. Trinit. apud Greg. Naz. orat.  
39. & alios.*

**A**dam non genitus (a) limi de mole creatus,  
Denotat ingenitum, Principiumque, Patrem.  
Quam Deus ex (b) costâ Sociam formarat Adami,  
Personæ genitæ dixeris esse notam.  
(c) Procedens Sethus soboles ab utroque parente,  
Pneumatis umbra sacri est; quod mea coepita juvet.  
(a) Gen. 2. (b) Ibidem. (c) Gen. 4.

### S Y M B O L U M 2.

*De eodem*

*Supponitur Abel pro Seth.*

**D**iscite posteritas, nostrorum prima parentum  
Progenies, Triados Symbola clara docet.

Ex

(1)

Ex Adami velut ingenito producitur Eua,  
Ex utroque carens *labe* creator Abel.  
A teneris pater unguiculis, a lacte pusillos,  
Hanc mater Triadem, Signa Crucisque doce.

### SYMBOLUM 3.

In principio creavit Deus Cœlum & Terram &c. Spiritus Domini ferebatur super aquas. *Quibus verbis tres in Deitate personas probat S. Aug. de Trinitate & Vnitate Dei. Mibi tom. 4. fol. 228.*

**C**ondidit immensæ summus primordia molis,  
(a) Conceptu æterno cuncta creante, Pater.  
Sidera cum cælis, terre digesta creavit  
Corpora, Principium, Principioque carens.  
(b) Qui circumfusis impendet & incubat undis,  
(c) Fœcundat Sacras Spiritus unus aquas.

(a) *Ioh 1. & psal. 32. & alibi.* (b) *S. Hier. Basil. & pñè omnes SS. PP. de Spir. Sancto intelligunt.* (c) *Allegoria ad baptismum ex Hier. epist. 83 ad Oceanum.*

### SYMBOLUM 4.

*Alio sensu*

In principio creavit Deus &c. in hebræo pro Deus habetur Elohim in plurali, quasi Dij vel Judices: unde Elohim plurimalitatem indicat scil. personarum; Creavit in numero singulare unitatem essentiæ. Ita Lyranus, Magister, & Scholasticæ multi, lib 2. sent. dist. 1. Cunc-